

95. Deinde diserta singularum Deitatis personarum denominatio à Regio Psalte exprimebatur Psalm. 33, 6. VERBO ( quo Filium DEI notari, testis est Iohannes . cap. 1, 1.) IEHOVÆ (patris) cæli firmati sunt. & SPIRITU oris eius, omnis exercitus eorum.

96. Tum trina ciusdem verbi de DEO iteratio, pluralitatis imo Trinitatis Personarum in divinis, certum erat iudicium. Quo pertinebat consueta illa populi benedictio, in qua ter nomen DEI repetebatur: Num. 6, 26. Item τεσάγιον illud, Ies: 6, 3. Apoc. 4, 8.

97. Tandem quoties nomen Iehovah, quod est Essentiale DEI, diversis numero in Prophetarum vaticiniis tribuebatur: mox de mysterio Trinitatis p̄ij admonebantur: ut cum audiebant promitti à Iehovah, missionem talis Regis, cuius nomen sit futurum, Iehovah Iustitia nostra: Ier. 23, 6. & 33, 16.: ibi mox colligeant, cum & mittenti & misso nomen Iehovæ assignetur: plures credendæ esse personæ in divinis: Quantquam hanc notitiam in vetere Testamento obscuriorem fuisse, minimè negamus.

98. Iam vero in Novo Testamento, Mysterium hoc Trinitatis sic est revelatum, ut nulla planè amplius dubitatio de eo in piorum animis sit reliqua.<sup>1</sup> Hoc enim ad oculum demonstrat Incarnatione secunda personæ Divinitatis, quæ obumbratione altissimæ

Luc. 1, 35